

UM
RUM
E
EINZIA
UM



**DIVITIARUM
EVANGELICARVM**

Disquisitio Duodecima

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Salani
Rectore,


Respondente

JOHANNE LACHMÄNNO

Wurzenâ Misnico

Dominica IV. post Epiphaniâs.

A. O. R. cl. lxx. iiii.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Hæredum Melchioris Oel-
schlegelij.*

DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disputatio Brodericus

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Salani

Rectore

Respondente

JOHANNI LACHMANNO

Wurzen Mense

Dominica IV. post Epiphaniam

M. D. C. C. C. C.

1700

HALLI SAXONIAE

Probo Hartmanni M. D. C. C. C. C.

M. D. C. C. C. C.



ANALYSIS
EVANGELII

Dominica IV. post Epiphaniās.

Matth. 8. v. 23. usq. ad 28.

Prefamen.

Tonæ comparatur Iesus Christi-
stus Salvator noster, non tantum propter
typum resurrectionis; verum etiam dum
iussa Dei fugiens Jonas vecturus per al-
tum dormit, tempestas orta cunctis ploranti-
bus: Ita Jonas Iesus Christus, aequè cum in na-
vi, cum discipulis dormit, mare tumultuatur
omnib9 clamantib9 perim9. Ubi ille excitatus
in mare precipitatur, mare placatur; sed Iesus
excitatus rogatur, & iussu seu verbo solo mare
sedatur. Id quod uberius in Evangelio declara-
tur, in quo

THESIS I.

R

Par-

Partim præmittitur tempestatis excita-
 tio, *cujus antecedens est circumstantia-*
rum denotatio v. 23. in quo per effectū
habetur tum Christi in navem adscensus: &
ascendente eo in naviculam: Nempe cum
multa & admiranda, uti loquitur Chrysost:
Dominus ostendisset in terrā, transiit ad mare:
ut & ibidem excellentia opera demonstraret,
quatenus terra & maris, se Dominum esse o-
stenderet, quod idem habet, Orig. hom. in div.
Marcus. 4, 35, notat fuisse circa vesperam diei
ejus, scilicet quo Christus similia de semine, de
grano sinapis sermone satis prolixo proposue-
rat. Et quia Luc. 8, 22, dicit, factum esse, ἐν πρώτη
τῶν ἡμερῶν, dies septimana prima colligitur,
uti Marc. c. 16, 2. Luc. 24, 1. ita nominatur.
quippe oracula ut plurimum die Sabbathi edi-
dit, miracula verò die septimana primā: in in-
diciū fore ut iste dies Christianorum sit sã-
ctus et princeps omnium dierum, uti ex Da-
mas. l. 4. c. 24. colligitur: simulq; notetur ipsum
Christum nonnunquam navigasse, nonnunquam
etiam incessisse, sua voluntati facultatem ac-
commodando, ut Basil. Seleuc. Orat. 22. Fa-
ctum itaq; est, post sanatum Centurionis ser-
vum paralyticum, cum in via ambularent,
atq; ad fretum venissent, & jam jam navigium
esset

esset ingressus, uti notat Aug. de consensu Evangel. l. 2. c. 23. *Ut discamus, ordinaria media à Deo destinata, si adhiberi possint, non negligenda: tentantis enim est, insilire in media pericula, habet Chrysost. in hom. 26. epist. ad Hebr. & dicere, videbo si me liberet Deus; quia securus est, perire non posse, quam juxta periculum non periisse, in altero tranquillitas, in altero gubernatio; ibi gaudemus, hic evadimus, ait Hieron. in epist. 47. Tom. 2.*

2. Et discipulorum ex accidente comitatus: Secuti sunt eum discipuli ejus. Non frustrà neq; casu dimissa turba, dum discipulos tantummodò secum retinuisset, dicunt Marcus & Lucas. *Ut nimirum futuri signi miraculo ipsos corroboraret. Ut nihil faciamus ad ostentationem; sed semper declinemus turbarum importunitatem. Ad signa quidem reliqua quoq; turbas admittebat; ubi verò ad signa timor quoq; & tremor imminebat, habet Chryl. hom. 29 in Matth. eos solos recipiebat, quos ad predicationem & pericula missurus erat, Quod & Syrus ait, dum inquit: reliquerunt turbas & acceperunt eum nitentes scilicet in altum, cum esset in navi. Et quamvis, quod Marcus ait c. 4. 36. secuta sint discipulos etiam navigiola alia, tamen non contra-*

riantur: nam Matth. de navi Christi loquitur, plures autem adfuisse, ipsa admiratio arguit, v. 27. dum dicitur homines fuisse miratos. Si soli enim Apostoli miraculi huius spectatores fuissent, quid homines miratos dixissent? A discipulis discamus constantiam, dum Christum secuti etiam in periculis.

3. Consequens est, tum post ortam tempestatem Christi cubatio, v. 29. in quo partim forma tempestatis, ubi præmittitur particula *Ecce* attentionis, quæ Spiritus S. asteriscus est, singularia post alia notabilia innuens, nempe tempestatem hanc præter omnem expectationem accidisse.

4. Et exponitur in genere: facta commotio Gr. σεισμός: quæ vox tantam significat concussionem, ac si terra motus esset; motusq; à quantitate, dicitur magnus. Lucas & Marcus causam procreantem addunt, nempe quod turbo seu λαίλαψ ventus violentus descenderit in lacum, qui inferne sursum versus, repente omnia convolvit. Non quidem quod quidam volunt per Diabolum, neq; etiam propter Iudam discipulum, uti Ambros. c. 5. in Luc. & Beda lib. 3. in c. 4. Lucæ suspicatur: sed ipse fecit turbare mare, commovit ventos, concitavit fluctus. Cur hoc? inquit Orig. hom. 6.

Et in divers. ideò ut discipulos in timorem mitteret, & ipsi suum auxilium implorarent, suamq; potentiam rogantibus manifestaret. Illa igitur tempestas non ex se orta est, sed potestate paruit imperantis ejus, qui educit ventos de thesauris suis. Ier. 10, 12. Sic etiam in Iona naufragio dicitur: Dominus immisit ventum in mare. Unde glossa ordinaria habet, Christi imperio orta est tempestas, ut discipuli magis timeant ac orent, & rogantibus ostendat suam potentiam. Unde discendum, Deum esse tempestatum primariam causam, quia alias ne pilus quidem moveri potest, aut porcus submergi, Matth. 8, 31. Et mare hoc est seculum, dum habet amaritudinem noxiam, fluctus tribulationem, tempestatis tentationem, uti habet Aug. in Ps. 30. & quia Christianis, dum in hoc corpore vivunt, tribulatio deesse non potest, uti idem ait, serm. 20. de Verbo dominico. Et pleriq; quanto DEO sunt propiores, quod Clemens Alexandrinus lib. 20. Stromatum loquitur, sunt flagellis pleniores, 1. ne superbiant. 2. ne lasciviant. 3. ut probentur. 4. ut conformentur imagini Christi. 5. ut Deum glorificent, & ita 6. ut per tribulationes in regnum caelorum introeant. Certè qui amatur, corripitur, habet Hieron. l. 1. in Os. c. 4. qui negligitur su-

is peccatis dimittitur. Ergò habet August. in enarr. Psal. 102. quod pateris, unde plangis? medicina est, non pœna; castigatio, non damnatio. Aliàs seculum mare ob incertitudinem, quia in eo non est localitas, sed fluxus velocitas, aquarum multiplicitas, aura instabilitas, periculositas, horribilis tempestas.

5. Et à loco; in mari. Nempe Galilææ secundum Luc. distante Hierosolymis milliariibus 11. versus septentrionem; quod dicitur aliàs lacus Genesareth, à regionis adjacentis fertilitate, lacus Cineret, à triangulari forma seu sonitu aquarū, & mare Tyberiadis ab urbe ipsa, quam alluit per Synechdochen generis pro specie, quia quævis aquarum collectio vocatur mare, Marc. 4, 37. Et in hoc mari Christus quasi asyllum habuit, atque in eo pede sicco ambulavit ad 30. stadia, Ioh. 6, 14. Petrus in eo magnam conclusit copiam piscium, Luc. 5, 7. etiam absq; reti cepit piscem, ex cuius ore stateram depromsit, Matth. 17, 27. Eoq; vita hominis denotatur, unde Chrysoft. hom. de nomine Abraham inquit: Navigamus vitæ presentis mare, quod multas habet beluas, piratas, petras, & latentes scopulos, crebrisq; surbatur fluctibus, & in eo naufragantur plurimi: sic res humana instabiles ut mare. Vt disci-

sca-

scamus, ita in hoc mundo agere, quemadmodum solent nauta in mari, ne fluctibus afflictionum percellamur, sed potius oremus & portum desideremus.

6. In specie, ab effectu; ita ut navicula operiretur sub fluctibus; concussione nempe maris & fluctuum. & quod Marc. v. 37. habet, ut aquis impleretur; non quidem in totum, sed àυζηλωσ penè. Siquidem Christi navis mergi quidem potest, sed non submergi. Et naves, quod B. Ambros. in Psal. 47. de corporibus dixit, qua vago diversarum passionum fluctu moventur, ea citò merguntur, nisi habeant gubernatorem. Sic surgunt procella, dum vides malos florere, bonos laborare, habet August. in Psal. 25. Ut discamus, eos qui cum Christo navigant, calamitates non effugere. Sic Abraham in Idololatria benè habebat, in religione malè, Gen. 12, 1. Moses in aula Pharaonis late vivit, in vita alia Israelis miseras patitur, Exod. 2, 15. Breviter, ubi Christus Ecclesie navim mare huius seculi transfretaturus ascendit, gentium flabra, Judaeorum turbines, persecutorum procella, vulgi nubes, demonum nebulae sic ruerunt, ut fieret una potestas, regum spumabant undae, fervebant potestatum fluctus, sonabat rabies traditorum, populorum

gurgites rotabantur, perfidia videbantur, scopuli mugiebant, littora Christiana lapsorum naufragio vexabantur, & erat totius mundi unum naufragium. habet Chrysoſt, ſerm. 30. Ita adhuc dum Chriſtiani experiuntur eandem fortunam Act. 14. 22.

7. Partim accidens inopinatum: Chriſti ſomnus: Ipſe verò dormiebat. Et ſanè profundius, uſi arguit textus, cum habeatur apud Luc: αὐτὸν ὄπρωτον, quemadmodum etiam evincit clamor. Marcus locum nominat, nempe quod in puppi in cervicali, v. 38. non ligneo, uti Theophyl. voluit; ſed tali, quale pulvinar capiti ſupponitur. Laſſus enim à laboribus precedentibus, per integrum diem quos ſuſtinuit, voluit ut homo requieſcere, quia dum in ſomnum ſolvitur & cibo alitur hominem ſe eſſe perſuadet hominibus, inquit Auguſt. ep. 3. quem non conſumpſit, ſed aſſumpſit. Ut diſcamus, non eſſe invidendam requiem docentibus, dum, quod Parmenio ille ait de Rege Ptolomeo, legatis rectè dixerit, ſinite pauliſſer dormire illos, nam vobis dormientibus ipſi vigilarunt. Et quidem ſomnus non fuit ſimulatus, ſed naturalis & verus, ut & Apoſtoloſ ad preces eò attentiores inſtigaret, quia, quod Baſilius loquitur; ſi præſens periculum vidiffet, non

tantâ devotione. esset invocatus. Dormit ergo ut suscitarer, faceretq; vigilare. O jucundum somnium, quo fidem dormitantem ex mediâ maris tempestate Dominus excire paraverat: sed dormiebat quidem corpore, divino vero nutu conturbabat mare, precipuè ne nos unquam animo dormiamus, vel intellectu, seu prudentia, habet Orig. hom. 6. in div. quia dum Dominus dormiebat in navi, ideo fluctuabat navis. Navis tua, cor tuum. Jesus in navi, fides in corde. Si oblitus es fidem tuam, dormit Christus, habet Aug. in Psal. 34.

8. Tum discipulorum ab effectu metuentium ad Christum facta acclamatio. v. 25. in quo eorum facta, in quibus est modus tum per accessum: & accedentes discipuli ejus. Qui in presentissimo vite periculo constituti, nullum aliud sciunt refugium, nisi ut accedant Christum. Ut discamus in afflictionum fluctibus aequè ipsum adire, quia magister ad salvandum est. El. 36, 1. quia id ipsum est vult Matth. 11, 28. Est quia nullus confusus est Sir. 2, 12.

9. Tum per excitatum: suscitaverunt eum: Tanto siquidem metu, inquit Orig. hom. 6. in div. discipuli erant conterriti, Est penè animo alienati, ut irruerent in eum non

modestè & leviter suggerentes, sed turbulenter. Ut discamus, in anxietatibus & tribulationibus nostris aequè clamoribus nostris Christum excitare. Et quidem Christus, quod habet Chryl. ad exercitationem eorum hac fieri permittebat erantq; quasi figura tentationum, ad quas essent perventuri: majoribus enim eos certe rerum tempestatibus postea permisit vexari, nec in cassum tamen ad extremum usq; eos terrorem evenire permisit, verum ut signum ejus ingens videretur, & perpetua miracula memoria residerent.

10. Et verba in quibus argumentum à contrarii negati effecto & in eorum objectum: & dicentes Domine. Qua voce ipsum verum Deum esse omnipotentem fatentur, dum absolutè, Domine ponitur, quia Dei potestas absoluta est. In Syro additur noster, qua vox fidei plena, quia, quod habet Basil. Seleuc. Orat. 22. omnis nostra exhausta est industria, manq; ad opem ferendam corripuntur inutiles. Ille autem Dominus noster, ille redemptor noster, Es. 64. 16.

11. Tum effectum, & desideratum: salvanos, Quo ostendunt fidem. Et ô beati, ô veraces discipuli, Dominum Salvatorem vobiscum habetis, habet Orig. hom. 6. in div. Ideo.

Ideoq̄, salvare poterat, qui & mare & fluctus
 in manu sua habet Ps. 88. 10. In Luca addun-
 tur ingeminata voces Præceptor, Præceptor.
 In Marco formatur per interrogationem, Præ-
 ceptor non est tibi cura? Ut ostendatur pre-
 cum constantia, dum apud Matth. petunt, in
 Luca quærent, in Marco pulsant. Non quod
 clamor instans Deum moveat: sed quod cor
 humiliatum respiciat. Clament ergo opera
 eða, inquit Ambros. lib. c. 9. de Cain & Abel.
 clamet fides, clament affectus, clament passiones
 tua. Et ipsius oratio est perfecta, cuius & cau-
 sa clamat, & signa, actus & sermo, vita & co-
 gitatio, ait Cassiod. in Ps. 16, 1.

12. Et periculum futurum: perimus.
 Et sanè periissent, nisi Christus affuisset: sine eo
 enim omnino nobis pereundum. Quamvis
 ita timere non debuissent, quia quod dicunt pe-
 rimus, diffidentia est: at non est in omnibus ea-
 dem fides ratione scilicet notitiæ & assensus,
 licet ratione fiducia; quod notandum; quia fides
 non salvat quantitative, non qualitative, non
 operative; sed tantum relative. Ostendunt
 verò discipuli, quomodo naufragium spiritua-
 le possit evitari. 1. ut descendentes in navim
 seu vocationem maneamus. 2. ut Christum, non
 alios accedamus. & 3. ut eius opem queramus.

13. Partim sequitur tempestatis sedatio, v. 26. In quo tum efficiens causa; & dicitur eis, nempe excitatus Iesus, uti habet Syrus. Somno enim quietis excusso, & per festinam expergiscendi rationem nihil ut assolent, qui dormiunt, somniculose gerit, habet Basil. Seleuc. Orat. 22.

14. Forma respectu discipulorum, quos redarguit primò ob pusillanimitatem; quid timidi estis? Non quidem metum ac timorem periculi imminentis in ipsis simpliciter redarguit, sed quia ita timidi, uti habet Marcus, hoc reprehendit. Peccabatur enim ab Apostolis, 1. diffidentia, quando produnt dum clamant perimus! ut ostendat timorem afferre pericula, quemadmodum monet Theophyl. 2. peccant impatientia, dum dicunt non est tibi curæ quod perimus? Non quasi omnis timor sit prohibitus, sed quia nimius; nam & fides infirma ἰσότης, 2. Petr. 1, 1.

15. Secundo ob incredulitatem: exiguae fidei. Nec enim que antecedunt indicio erant, quasi omnis fides plane in illis extincta esset. Sed ac si diceret, cur motu mari vestrum etiam cor motum est? cur concussa scapha concussa etiam sunt pectora vestra? cur aqua ad animam usque insilivit? cur fidei moenibus non estis
se-

septi? Salvatorem vobiscum habetis & periculum timetis, & vita vobiscum est, & de morte estis solliciti, maris tumorem tremitis, eius vero creatorem non attenditis, si potentem me super terram agnovistis, quare non creditis, quod in mari potens sim? habet Origen. hom. 6. Credebant tamen, Christum ipsos eripere posse, alias non excitassent ipsam, vigilantem posse tempestati resistere non diffidebant, dormientem vero minimè, habet Chrysostr. hom. 29. in Matth. Rectè ergò dicit, esse modicæ fidei: nam licet etiam mors irrueret, tamen debuissent eam constantissimè sustinere. Interim qui pusillum credit arguitur, qui nihil credit contemnitur, fragilis in fide corripitur, alienus à fide punitur. Exinde colligitur, non omnem fidem esse æqualem, ut oremus, quo succurratur incredulitati, Marc. 9, 4. ut augeat fidem, Luc. 7, 5. Hinc non dubitandum, sed divinum auxilium implorandum & expectandum.

16. Respectu ventorum, ubi tempus: tunc post increpatam discipulorum pusillanimitatem, ac incredulitatem. Et modus: surrexit. Excitatus enim Christus adiutor est in tribulationibus; nec enim langvescentes in fide Deus rejicit, sed recipit, non prosternit, sed manum eis supponit Es. 24, 1. Gal. 4, 9.

17. Et

17. Et, imperavit ventis & mari, *Formale increpationis à Marco exprimitur v. 39, quod mari dixerit, sile & obmutesce, id quod magno clamore & vehementia factum: nam verbum graecum, ἐπετίμησε innuit, quod correspondet Hebraeo וַיִּשְׁמַט: estq; prosopopœia, non quod sensibile esset, ut cum spiritus immundos increpavit, sed ut vocem suam in creaturas inanimatas efficacem esse probaret. Majestate enim conditoris, habet Hier. in Matth. 8, qua apud nos insensibilia, illi sunt sensibilia. Pe discamus, Christi majestatem carni communicatam per unionem hypostaticam realiter Dan 7. 14. Psalm. 8. 8, Matth. 11. 27. & 28. 18.*

18. Effectus consequens: & facta est tranquillitas magna. In graeco est γαλήνη, qua vox non nudam tranquillitatem, sed etiam serenitatem denotat, ita ut ne semita quidem turbationis alicujus remanere visa fuerit, Atq; de vento magno, & tempestate magna, mari conturbato & trimenti, inquit Orig. hom 5. facta est tranquillitas magna. Decet enim hunc magnum magna etiam & miranda facere quippe quod habet Chryl hom. 29. in Matth. barbarum maris elementum recognoscebat veterem vocem, & antiqui recordabatur populi. Excivit mare ostendit naufragii spes. fidei

dei scholam fecit, habet Basil. orat. 22. Et ideo, qui prius magnificè conturbavit profundum maris, iterum tranquillitatem magnam fieri iussit, ut discipuli nimium conturbati magnificè latarentur. Unde colligitur iudicium potestatis eterna in voce etiam humana.

19. Et hominum admiratio, v. 27. in quo subjectum: homines. Non ergò solum Apostoli, quod è Marco v. 41. & Luc. 25. constat, quamvis Hieronymus neget, sed nautas, & ceteros intelligat. Verum & isti rectè homines appellantur, habet Orig. hom. 6. qui nec dum noverant potentiam Salvatoris, tum etiam alii, qui in navigiis, qua cum illo vehebantur, Marc. v. 36.

20. Prædicatum partim ab effectu: mirati sunt. Non ex ignorantia, sed ex miraculi maiestate & oculari inspectione. Ut discamus admirari maiestatem divinam.

21. Ab effectu: ubi est exclamatio: dicentes: qualis est hic. non interrogantes sunt, ait super hac verba Orig. hom 6. in div. sed asserentes, quia iste talis est. Ut discamus aequè admirari, non scrutari omnia.

22. Et ratio: quia & venti & mare obediunt ei. Atq; ita tria admirantur, hominem dormientem, Deum imperantem, & crea-

crea-

creaturam obedientem. Somnus enim & statura, navigiumq; hominē ipsum declarant, ac maris tanta per eum facta subita tranquillitas Deum exclamat, habet Chryl. hom. 29. Moses quidem ferè tale quid fecerat, sed hic quasi servus, ille verò quasi Dominus operatur, non enim virgam, ut ille tetendit; non manum in cœlum sustulit, non precibus indignit; verum ut Dominus ancilla imperans, & conditor sue creatura, sic fluctus maris repressit, sedavitq; quasi freno verbo solo & precepto. Deditq; per hæc omnia nobis figuram Dominus, & doctrina imaginem, ut nos in omni conturbatione patientiam teneamus, stabiles simus, fidem non deseramus.

NOTÆ.

I.

Corta tempestas) considera Christo dormiente tempestates evenire; ut discas orare, quo pro nobis vigilet.

II.

Quid timidi estis) considera Apostolos timidos esse & modicæ fidei; ut discas securitatem evitare.

III.

Ventis & mari præcepit) considera
 quanta sit Dei majestas & bonitas;
 ut discas, licet culpabiles simus, tamen, si
 opem eius imploraverimus ipsum sedare
 tentationem tempestatu, Demonis, mun-
 di & carnis.

CASUS CONSCIENTIÆ.

An minister teneatur sequi etiam in
 periculis, ad quæ non obligatus,
 Dominum?

Afirmandum esse, videtur colligi posse
 ex discipulis Christi, qui ubi descende-
 bat Christus in navim, quod periculosum,
 secuti sunt eum. 2. Vasallus tenetur Domi-
 num non deserere in vitæ periculis, argu-
 mento c. 3, formæ fidelitatis, & t. 5. &
 in fin. t. 21. l. 1. F. & § idem qui Domi-
 num. t. 24. F. nisi velit privari feudo. Ita
 & fidi est ministri hoc prestare, l. cû domi-
 no ff. S. 2. de S. Syllano. 3. & amici est officium,
 uti habet Cicero pro Lælio de Pomponio
 Sexto, de Volumnio & Lucullo, Valer. Max
 1. 4.

l. 4. c. 7. quod & Christus ait, Joh. 15, 13.
 Imò jubet vitam ponere Johan. 3. 16.
 Attamen hoc 1. nullibi simpliciter man-
 datum 2. quia nemo Dominus membrorum
 suorum. l. liber homo. ff. ad l. Aquil.
 Ideoq; nec ad hoc se obstringere de jure quis
 potest. 3. extra vocationem nemo est obli-
 gatus.

Quod autem superiora argumenta
 concernit, in navim unà cum Domino de-
 scendere, nō est adeò periculosum, quia etiā
 est ordinaria via exercendi commercia. De
 inde vasallo non tenetur vitam suam post-
 ponere vitæ Domini, per gl. in c. 1. quibus
 med. Feud. amittatur. & c. 1. de alien.
 feud. pater. Præpos. in c. 1. §. est & alia,
 quale fuit. Speculat de feud. §. quoni-
 am v. 17. Mozz. de subst. feud. n. 14.
 Zas par. 7. n. 37. Kirchoff. in Thes. com.
 opin. tit. V. Vulteius l. 1. c. 10. 1, 28. de
 Feudis. 3. Amici quidem promptitudo
 laudatur, sed tantum eatenus obligatur,
 quatenus pietas & jura permittunt. Inter-
 ea fidi est ministri etiam juvare proxi-
 mum, nedum dominum, in omni periculo,
 de

de quo loquuntur textus sacri. Miles verò
 nec in summo vite periculo, Dominum su-
 um deserere potest l. 3. l. 6. §. qui in acie
 ff. de re militari l. 1. & l. 2. ff. de his qui
 notantur infamia. Generale enim est
 eorum preceptum quod parati esse velint
 semper & nolint unquam Reipub. causa
 mortem evitare. Glos. in l. penult. ff. ex
 quibus causis majores. Zas. conf. 6. n.
 18. l. 1. Eugere præterea non semper licitum
 Sic Carolin. in ordin. Judicii. Crim. ar-
 tic. 140. & articulo 142. quas Bocerius in-
 terpretatur, de proximis sociis & amicis,
 quibus opem ferre quætenetur. Quod si quis
 alios in periculo deseruerit, non justum est.
 c. non inferenda. 7. causa 22. q. 3. c. di-
 lecto vers. Imò si potest & non facit,
 occidit. Sic rectè dicitur: si defendens a-
 lios, ut præter cæteros discipuli Præcepto-
 res, famuli Dominos, occidit non pœnam
 homicidii sufferre coguntur. l. 8. §. fin. ff.
 quod mitus caus. l. 2. ff. de liber. caus.
 Gomez. tom. 3. vari. resol. c. 3. n. 21 Vil-
 lalob. in cõ. opin. lit. O. n. 20. Covar-
 ruy. in Clem. si furios. §. unic. par. 3. re-
 lect.

lect. num. 5. de hom. Zoannett. in tr.
 defens. tripar. part. 1. n. 56. *Quin jure te-*
nentur Boer. decis. 83. 6. Bachov. in
 not. ad Treut. vol. 2. disp. 33, th. 6. lit. l.
 circa finem. *Debet enim unusquisq;* non
minus proximum, quam se ipsum diligere,
 Luc. 10, 28. c. non inferenda 7. c. 23 q.
 3. in c. quanta 47. de sent. ex com. quip-
 pe cognatio est inter homines, propter quam
 nefas pati, ut quispiam pereat, l. 3. ff. de J.
 & J. & beneficio affici hominem interest ho-
 minis l. 7. ff. de serv. exportand. & in l. 6.
 §. pen. ff. de re milita. respondatur eum;
 qui prepositum suum non preterit cum pos-
 set puniendum, l. 50. ff. de R. J. 109. ff. ibid. l.
 4. ff. ad l. Aquil. l. 2. C. de comer. & mer-
 eat. Interea charitas incipit à se ipsa, l. 6.
 C. de serv. & aqua, c. si non licet 8. c. 23.
 q. 5. Cothm. volūt. 3. Resp. 31. n. 48. *ne-*
mo enim presenti periculo se exponere cogi-
tur, arg. c. ex parte 47 de appel. l. 34. §.
 1. ff. de donat. *Dum id tantum prestare te-*
netur, quod sibi non nocet & alteri prodest,
 l. 2. §. 5. ff. de aqua, & aqua pluv. Har-
 prech. ad l. Cornel. de Sicar. &
 in Inst. n. 140.



Jubila post fletus, ridet post nubila Phœbus,
Sepeq; sunt laci, post mala fata, dies.

Vis ut id exemplis animem? se quando carina
Commisit Christus, ventus & unda furit.

Naufragiumq; minabatur suppressa procellis
Navis, dum Christus membra sopore levat.

Discipuli timidi clamant: ô Christe perimus!

Ah serva! serva, nos maris unda vorat.
Is contra: modica fidei, quid queso timetis?

Increpat, & ventos, sedat & omne mare.

Tunc mare tranquillū cum cœloris sit, & omnis

Dixit: quis? cui ventus pareat & unda ma-
ris?

Ah quā Christe diu mihi dormitabis? ah audi!

Prende manu raptū vortice, surpe lacu,

Sic LACHMANNUS ait. Pergas LACHMANNÆ
lacunis

Raptus, ridebis. mollior aura fluet.

ita optat

GUEINZIUS.

PHALECIVM.

Ceu per fluctifragi tremenda ponti
plana, ad gemmiparæ perusta prata
Banda, defluere hinc soluta flata
tentat:

tentat: en rabidas, velut Charonti
notas sentit aquas, gemuntque conti-
cedit terra oculis, humusq; grata,
minanturq; necem propinqua fata,
solvit claustra Nothus maligna monti.
Fortunam hanc etiam piùm corona
seruat, dum misera est ad fata prona,
Christi testis erit citata pristis
ventis pressa nimis: Sed en! beata
quæ SOTERA vehit, maligna tristis
rides tecum oneris Lachmanne, fata.

relinquit suo

Melchior Schirmerus.

Χριστῷ ὅτε πλάτην ἔσαι ὑπόχθις Τύ-
ραννε

διότι ταύτην κοσμὲ ἔχθάρεις κακῆς
ἐννιμέσῃσι ΓΕΛΑΙ ὅτι περ ταχθεῖσα θυέλ-
λαις

Χριστῷ τ' ἀλεξέουσις ὑμῶν κρατεῖς
Ταῦτα ΓΕΛΑΝΔΕΡ ἔχει, Χριστοῦ λόγος ἐπέ-
κεινα

ἄλλῃ, ἐσῆται Χριστομύσης ἐμμελής.

Samuel Sierwinski, L. L.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017




EVANG.

CHRIST.

HALLS

Q2 C





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

CIARUM
LICARVM

o Duodecima

ESIDE

O GUEINZIO

nsii Salani

ctore ,


ndente,

LACHMANNO

nâ Misnico

post Epiphanias.

cl. l. c. III.



SAXONUM

n Melchioris Oel-

egely.